


ANGELUS ANASTASI



Omaggio dell'Autore


QUATENUS TITUS LIVIUS L. COELIO ANTIPATRO AUCTORE USUS SIT



ACI REGALI



MCMV



Ex Actis Regiae Acensium Academiae quae « Zelantea » nuncupatur (Sect. Litter., Ser. III, Vol. IV, Pars II, MCMIV-MCMV) seorsum expressa.

ACI REGALI: FORMIS DESCRIPSIT « UNIONE TIP.-EDIT. OPERAIA ».
A. D. V. ID. OCT. A. MCMV.

MATRI OPTIMAE SUAVISSIMAE

HEU MISERO ADEMPTAE MIHI.



QUATENUS
TITUS LIVIUS
L. COELIO ANTIPATRO
AUCTORE
USUS SIT

In libris praecipue XXI - XXX historiarum T. Livii illustrandis recentiores viri docti acrius versati sunt, primum quia de tertiae decadis libris disputatio facilior (1) esse videtur, tum quia ad Livii annales cum Polybio ceterisque de rebus Hannibalicis scriptoribus—quorum, fato adverso, perpaucae reliquiae exstant—comparandos par est ut trahamur. Cum autem permulti viri docti fuerint, qui in fontibus tertiae decadis historiarum T. Livii explorandis versati sint, omnes plane inter se dissentiunt. Congruunt tamen omnium fere de una re sententiae: L. Coelium Antipatrum potissimum auctorem a Livio in annalibus perscribendis (in libris praecipue XXI-XXII) adhibitum esse. At vero, ut mihi

---

(1) Cf. quid de hac re opinati sint F. LACHMANNUS (« *De font. hist. T. Livii* », Comm. alt., Goett., 1828, p. 7) et CAROLUS PASCAL, praeceptor meus suavissimus, (" *T. Livio e Valerio Anziate* " in opere quod inscribitur « *Studi sugli scrittori latini* » Torino, Loescher, 1900, p. 68).

quidem videtur, omnes fere viri doctissimi, qui de ratione, quae inter T. Livii et L. Coelii Antipatri historias intercedat, disputarunt, cum ad utriusque scriptoris locos animo praeoccupati accesserint, quam plurima ex Coelio in Livium fluxisse iudicaverunt (1). Ac nobis quatenus T. Livius L. Coelio Antipatro auctore usus sit exquirentibus, haec duo potissimum spectanda sunt, ut ea omnia, quae uterque scriptor de eadem re memoriae tradidit, accuratissime inter se conferamus, et praecipue ex reliquiis Coelianis cum Livii libris comparatis sine ira et studio argumenta nostra hauriamus. Postremum erit disputationis nostrae, ut quaenam Livii ratio fuerit in libris Coelianis adhibendis statuamus.

Nobis igitur utriusque scriptoris locos quam diligentissime comparantibus duo Coelii reliquiarum genera occurrunt, quorum unum apud Livium, alterum apud alios scriptores invenitur. Ac primum quidem de Coelianis illis reliquiis, quae apud ceteros scriptores, praeter Livium, leguntur, disputemus. Ex omnibus perspicuum erit nihil a Coelio in Livium fluxisse, quin ab aliis quoque rerum auctoribus traditum sit (2).

At tamen supervacaneum puto de omnibus his reliquiis, disputare; etenim, ut sane percipi potest, aliae (ap. *H. Peterum* fr. 1, 2, 3, 4 (3), 13, 15, 35, 51, 52, 53, 54, 56) apud Livium omnino non exstant; aliae (ap. *Pet.* fr. 3, 27, 30, 31, 32, 36, 37) ad complures de punicis rebus locos propter pauca verba possunt

---

(1) Quid praecipue de utroque scriptore homines docti iudicaverint, ne quandam in scribendo litterarum communium speciem adhibeam, minime tangere est in animo; vel potius lectorem ad I. B. STURMIUM (« *Quae ratio inter tertiam T. Livii decadem et L. Coelii Antipatri historias intercedat* », Diss., inaug., Wirgeburgi, 1883, p. 1-5), ad GUILELMUM SOLTAU (« *Livius' Geschichtswerk seine Komposition und seine Quellen* », Leipzig, 1897, p. 9-14) et ad CAROLUM PASCAL (*op. laud.*, p. 74-75) viros doctos, mitto.

(2) In afferendis Coelianis reliquiis HERMANNUM PETERUM (« *Veterum historicorum Romanorum reliquiae* », Lipsiae, 1870, p. CCXXIII-CCXXXVII et p. 147-164), qui arte et doctrina eas collegit disposuit praefatus est, potissimum secuti sumus.

(3) Vide ea quae de hoc fr. animadverterunt O. MELTZER (« *De L. Coelio Antipatro belli Pun. sec. scriptore* », Lipsiae, 1867, p. 17) et praecipue I. B. STURMIUS (*lib. laud.*, p. 37).

revocari, nec quidquam certi inde colligi potest (1); aliae denique (ap. *Pet.* fr. 7, 10, 23 (2), 24, 38, 41 (3), 43, 46, 47 (4), 57, 59, 60), quae ob prisca tantummodo et obsoleta vocabula a grammaticis prolatae sunt, perpauca verba continent, nec eae sunt quae cum Liviana narratione comparentur; quapropter Coelio Livium usum esse nemo ex iis efficere potest. Potius operae pretium est ad id quo tendimus de reliquis Coelianis fragmentis instituere disputationem. Atque profecto cum Coelii fragmenta a Cicerone servata haud parvi momenti sint, ab his incipere praestat. Hoc tamen commemoratione dignum censeo Coelium per epitomen, quam M. Brutus conscripsit, a Cicerone usurpatum esse (5).

Frag. 11 (Cic. *de div.* I, 24, 49) Hannibalis somnium narratur. Hoc fragmentum cum Livio (XXI, 22, 5) et cum Zonara (VIII, 22), qui Dionem exscripsit, praestat comparare. Omnium fere doctorum hominum communis sententia est Livium in Hannibalis somnio describendo Coelium potissimum ducem secutum esse (6). Contra, *Sturmius* (lib. laud., p. 9) Coelium a Livio

---

(1) Cf. ea quae de fr. ap. Charis. I, pg. 40 P. (ap. *Pet.* fr. 27) recte animadvertit MELTZER, *l. l.*, p. 26.

(2) De hoc fr. vide quid opinati sint MELTZER, (*l. l.*, p. 18, adn. fr. 10), H. PETER, (*op. laud.*, p. 154); et O. Gilbertus « *Die Fragmente des L. Coelius Antipater* », Fleckeisens Jahrb. X S. Bd., 1879, p. 368.

(3) Cf. infra ad fr. 40. STURMIUS (*l. l.*, p. 26) putavit veri simillimum esse Nonium, qui hoc fr. affert, narrationem Coelianam ita contraxisse, ut nimium colligere hominis temerarii sit.

(4) Huiusce fragmenti sententia (ut videtur STURMIO, *l. l.*, p. 43) tam obscura locusque tam corruptus est, ut vix certi quidquam inde colligi possit.

(5) Cf. Cic. *ep.* XIII, 8, ann. 45/709: « Epitomen Bruti Coelianorum velim mittas et a Philoxeno Παναιτίου περὶ προνοίας ».

(6) Ab hoc somnio argumentationis initium capiens, WOELFFLINUS (*Antiochus von Syracus und Coelius Antipater*, Winterthur, 1872), cuius viam ac rationem secutus est FRIEDERSDORFFIUS (*Das sechsundzwanzigste Buch des Livius*, Marienburg, 1874), ex argumentis, quae ad genus dicendi, ad rhetoricam, ad rerum historiam pertinent, eas omnes libr. XXI et XXII partes, quae ex Polibio non fluxerint, ad Coelium referendas esse colligit. Quin etiam WOELFFLINUS illam ieiunam et exilem Polybii narrationem quasi Coelii pigmentis coloribusque a Livio illuminatam esse contendit. At vero hi litteratissimi nostrae aetatis viri *per ignis Suppositos cineri doloso* incedere nobis videntur; ceterum, si quem capiat voluptas argumenta, quibus WOELFFLINI et

usurpatum esse negat, et *Gilberto* quodam modo adsentitur, qui Coelium, Livium et Dionem in illo Hannibalis somnio enarrando ex uno fonte, Sileno, hausisse contendit. At a Gilberto omnes fere viri docti discrepant, qui Silenum per Coelium a Livio exscriptum esse statuerunt (1). Nos nihil habemus cur rectam putemus opinionem illorum, qui Silenum a Livio ad suam rem allatum non esse ex eo efficiunt, quod ille historiam suam Graeco sermone scripsit; nam contra contendere possumus Livium quidem Polybio Graeco usum esse auctore, Graecosque quoque annalium scriptores, ut ipse saepius testatur(2), perlegisse. Attamen, ut mihi quidem videtur, Livium, qui semel (3) Silenum diserte laudavit, ex alio quodam scriptore, qui Sileni tamquam auctoris sui nomen addidisset, sua sumpsisse, verisimillimum est. Quomodocumque haec res se habet, nobis autem Coelium (ap. Cic. *de div.* I, 24, 49), Livium (XXI, 22, 5-9), et Zonaram (VIII, 22) diligentissime comparantibus, duae saltem narrationes distingui posse videntur, quarum priorem a Sileno, quem Coelius persecutus sit, ut etiam e Cice-

---

FRIEDERSDORFFII sententia comminui possit pernoscendi, hunc ad hos doctos scriptores I. B. STURMIUM (*l. l.*, p. 52), KLINGERUM (*De decimi Livii fontibus*, Lipsiae, 1884, p. 19) et praecipue CAROLUM PASCAL (*o. l.*, p. 74-75) delegamus.

(1) Silenum per Coelium a Livio exscriptum esse censuerunt NIEBUHRIUS, *Vorlesungen ueber röm. Gesch.* I, p. 49; SCHWEGLER, *Röm. Gesch.* I, p. 110; MICHAEL, *In wie weit hat Livius den Polybius als Hauptquelle benutzt ?* Torgau, 1859; NITZSCHIUS, *Histor. Zeitschrift* XI, 1864 p. 1 et sqq. H. PETER (*op. laud.*, p. CCXXII), patris sententiae quasi patrocinium suscipiens (C. PETER, *Livius und Polybius. Ueber die Quellen des 21. und 22. Buches des Livius*, Halle, 1863, p. 77, quem secutus est MELTZER, p. 28), apud Livium (XXVI, 49,3) unum locum, quo Silenus commemoratur, cum Sileni nomine ex Coelio haustum esse coniecit. Eadem fuerat sententia G. MICHAELIS, *(De ratione, qua Livius in tertia decade opere Polybiano usus sit*, diss., Bonnae, 1867, p. 63) et BOETTCHERI (*Kritische Untersuchungen ueber die Quellen des Livius in XXI u. XXII Buch.* S. B.d. Jahrb. f. class. Philol. Leipzig, 1869, p. 375). Iidemque A. SCHAEFER (*Abriss der Quellenkunde der griechischen und römischen Geschichte*, Zweite Aufl. besorgt von Heinrich Nissen, Leipzig, Teubner, 1885, I, p. 102) et GUILELMUS SOLTAU (*op. laud.*, p. 73) Silenum per Coelium a Livio atque a Cicerone commemoratum esse opinantur.

(2) Cf. Liv. XXIX, 27; XXIX, 50; XXXII, 6; XLV, 44. Cf. etiam infra ad fr. 40.

(3) Liv. XXVI, 49, 3; « *si auctorem Graecum sequar Silenum ....* »

ronis verbis colligitur (1), alteram, quam Livius praebuerit, a ceteris scriptoribus Hannibalicis traditam esse putamus.

NARRATIO PRIOR	NARRATIO ALTERA
(COEL.) Hannibalem... visum esse in somnio a Iove in deorum concilium vocari; [(ZON.)... ἔδοξέ ποτε τοὺς θεοὺς ἐν ἐκκλησίᾳ καθημένους καταπέμψασθαί τε αὐτὸν.]	(LIV.)... fama est in quiete visum ab eo (sc. ab Hannibale) iuvenem divina specie, qui se ab Iove diceret ducem in Italiam missum.
(COEL.) Quo cum venisset, Iovem imperavisse, ut Italiae bellum inferret ducemque ei unum e concilio datum, quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse. [(Zon.) καὶ στρατεῦσαι ὅτι τάχιστα εἰς τὴν Ἰταλίαν προστάξαι καὶ λαβεῖν παρ' αὐτῶν τῆς ὁδοῦ ἡγεμόνα.]	
(COEL.) Tum ei ducem illum praecepisse, ne respiceret, illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse. Tum visam beluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta virgulta tecta pervertere.	Proinde sequeretur neque usquam a se deflecteret oculos. Pavidum primo nusquam circumspicientem aut respicientem secutum; deinde cura ingenii humani, cum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo temperare oculis nequivisse eum; vidisse post sese serpentem mira magnitudine [(ZON.) δράκοντα ἀμήχανον] cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri ac post insequi cum fragore caeli nimbum [(ZON.) καὶ ἰδεῖν χειμῶνα μέγαν χωροῦντα).]

(1) Cic. *de div.* I, 24, 49: « Hoc item in *Sileni, quem Coelius sequitur, Graeca historia est*—is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est,— Hannibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somniis a Jove in deorum concilium vocari . . . »

(Coel.) Et cum admiratum quaesisse de deo, quodquam illud esset tale monstrum; et deum respondisse, vastitatem esse Italiae praecepisseque ut pergeret protinus. Quod retro atque a tergo fieret ne laboraret. (1)

(Liv.) Tum quae moles ea quidve prodigii esset, quaerentem audivisse, vastitatem Italiae esse: pergeret porro ire nec ultra inquireret sineretque fata in occulto esse.

Itaque haud parvae discrepantiae inter duas narrationes sunt, quarum ex priore Hannibalem in deorum concilium vocatum ab Iove iussum esse bellum Italiae inferre, ex altera autem ad Hannibalem venisse iuvenem divina specie, qui se ab Iove diceret ducem in Italiam illi missum esse, manifesto apparet. Deorum autem (Iovis praesertim) voluntate et iussu, id quod iam vidit *Sturmius* (l.l., p.7), bellum a Carthaginiensi illatum esse apud Coelium scriptum accepimus. Hanc esse narrationem studio sensuque Poenorum traditam, quis est qui neget? In quam opinionem propterea inducimur, quod Cicero, qui hoc somnium profert, narratiunculas se a Coelio depromere dicit, hunc autem a Sileno Graeco scriptore accepisse. Praeterea in eis, quae de belua memorantur, duae narrationes discrepant inter se; prior enim beluam circumplicatam serpentibus ab Hannibale spectatam esse, altera autem serpentem mira magnitudine [(Zon.) δράκοντα ἀμήχανον] ac post insequi cum fragore caeli nimbum [χειμῶνα μέγαν] Poenum vidisse (2)

(1) Haud recte Posner, (« *Quibus auctoribus in bello Hann. enarrando usus sit Dio Cassius* », Diss., Bonnae, 1874, p. 19) — cuius sententiam refellerunt Unger (*Phil. Anz.* VIII. p. 554) et Sturmius (*l. l.*, p. 10) — illa Zonarae verba « ὦ 'Αννίβα, ταῦτα συμπορθήσοντά σοι τὴν 'Ιταλίαν ἔρχεται », quae ab extrema narrationis cum Coelianae tum Livianae parte prorsus abhorrent, de suo ingenio Dionem appinxisse, contendit.

(2) Livius et Zonaras de beluae et nimbi ordine dissentiunt; hic enim ita scribit: « καὶ ἰδεῖν χειμῶνα μέγαν χωροῦντα καὶ δράκοντα αὐτῷ ἐπακολουθοῦντα ἀμήχανον », ille autem: « serpentem mira magnitudine...ac post insequi cum fragore caeli nimbum ». In quo, quamquam par est ut primum serpens, deinde nimbus commemorari debeat,—ille enim belli, eversionis vero hic, quam bellum affert, imaginem repraesentat (vide quae de hac re habet

retulit. Huc accedit quod nullam nimbi mentionem apud Coelium invenimus. Denique in extrema narrationis parte Cicero haec habet: « quid retro atque a tergo fieret ne laboraret », Livius contra ita ornatissime perscribit: « pergeret porro ire, nec ultra inquireret, sineretque fata in occulto esse »; quae quidem verba ita exornant atque perfiniunt somnia, ut haec quod in prophetarum oraculis sollemne est, adipisci videantur. Zonaras demum primum Silenum-Coelium, deinde famam, quam apud Livium reperimus, persequitur; ab hoc tamen in serpentis ac tempestatis ordine atque ab utroque in extrema narrationis parte dissentit. Quae omnes discrepantiae, praeter duas, quas aperte distinximus, narrationes, tertiam quandam fuisse ostendunt.

Ut brevi perstringam, in Hannibalis somnio enarrando solum Coelium auctorem a Livio adhibitum esse negamus. Quin etiam famam prorsus a Coelio aberrantem secutus est. Probabilis autem, ut mihi quidem videtur, est *Wollmeri* (1) sententia, qui ex verbis « fama est » Livium in hoc somnio enarrando vulgi opiniones secutum esse collegit.

Contra *Sturmius* (p. 10-11) ex eisdem verbis « fama est » Livium *illud somnium non auditu accepisse, sed certo debere auctori* effecit. At vero apud Livium *fama* est *omnis narratio cum a rerum scriptoribus tradita* (ut II, 32, 3), tum etiam *auditione percepta* (ut XXI, 20, 9; 46, 10 et sexcenties, paene dicam, alibi). Enimvero, ut coniecit *Sieglinus* (2), hanc fabulam post secundum bellum Punicum exortam esse verisimile est.

Quod si recte diudicatum est, nemo dubitaverit quin tres (nescio an rectius complures dicam) admodum diversae narrationes de hoc somnio prolatae sint.

F r a g . 1 9 (Cic. *de deor. nat.* II, 3, 8) « C. Flaminium Coelius, religione neglecta, cecidisse apud Trasumenum scribit cum magno rei publicae vulnere. »

H. Cocchia, in comm. l. XXI hist. T. Livii, Aug. Taurinorum, ap. H. Loescher, 1892, p. 58,—tamen haec discrepantia tertiae cuiusdam narrationis statuendae nobis praebet ansam.

(1) Wollmer, *Quaeritur unde belli Pun. sec. scriptores sua hauserint*, Diss., Goett., 1872, p. 36.

(2) In libro qui « *Die Fragm. des L. Coelius Antipater* » inscribitur, Jahrb. f. class. Philol. XI S. Bd. 1. H., p. 18.

Nonnullis locis (XXI, 63, 6; XXII, 1, 5; 3, 11) Livius de religione neglecta Flaminium consulem adcusat; sed quisnam ex tam communibus verbis Livii auctorem statuere audeat?

F r a g. 20 (Cic. *de div.* I, 35, 77) Quid? Bello Punico secundo nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum magna cum clade rei publicae ?...... M a g n u m i l l u d e t i a m , q u o d a d d i d i t C o e l i u s , e o t e m p o r e i p s o , ... t a n t o s t e r r a e m o t u s ...... » Ex his estremis Ciceronis verbis id solum efficere possumus priorem huius fragmenti partem (scilicet prodigia et pugnae tempus) ab aliis quoque annalium scriptoribus narratam fuisse, posteriorem (scilicet terrae motus) a solo Coelio (cf. *Meltzerum*, p. 30).

Huiusce Coelianae narrationis propria haec tria fuerunt; ut prodigia (cf. Liv. XXII, 3, 11), temporis, quo pugnatum esset, spatium (cf. Liv. XXII, 6, 1), terrae motus (cf. Liv. XXII, 5, 8) narrarentur. Ac primum quidem de prodigiis disputemus; atque etiam *Sturmio* (lib. laud., p. 18) adsentimur, qui non solum in rebus, verum etiam in verbis scriptores inter se discrepare, adfirmat (1). In primis enim apud Ciceronem Flaminius « exercitu lustrato cum A r r e t i u m v e r s u s castra movisset...et ipse et equus eius ante signum Iovis Statoris sine causa repente concidit», contra apud Livium Flaminii consulis equus a n t e m o e n i a A r r e t i (2) repente conruit consulemque lapsum super caput effudit. Praeterea Livius d u o (3) memorat prodigia, Cicero t r i a ; tripudium enim frustra apud Livium quaeres. Accedit ut Coelius tertium prodigium strictim (4) prodiderit, Livius contra haec luculenter scripserit: « ...... nuntiatur [Flaminio] signum omni vi moliente signifero convelli nequire. Conversus ad nuntium: Num litteras ......, effodiant signum, si ad convellendum manus prae metu obtorpuerit ». Quae quidem consulis verba apud Livium non invenimus. Quibus rebus Livium in illis

(1) Discrepantiae cum in verbis, tum etiam in rebus, quae inter hoc Coel. fr. et Livianam narrationem intercedant, a GILBERTO (« *Die fragm.* » p. 435) et a STURMIO (p. 18-20) proferuntur.

(2) Liv. XXII, 3, 10: « immo *Arreti ante moenia* sedeamus ».

(3) Liv. XXII, 3, 14: « territis [militibus] etiam *duplici* prodigio ... ».

(4) Coel. ap. Cic. *de div.* I, 35, 79: « cum signifer primi hastati signum non posset movere loco, nec quidquam proficeretur plures cum accederent, Flaminius renuntiata suo more neglexit ».

prodigiis enarrandis uno Coelio usum esse nullo pacto ferri potest.

Nunc in ea, quae de terrae motu et de proelii tempore duo scriptores tradiderunt, oculi sunt adigendi. In primis Coelius t a n t o s in variis regionibus t e r r a e m o t u s et damna quae hi protulerunt memorat, ut prodigii vis maxime eniteat; contra Livius u n i u s t e r r a e m o t u s mentionem facit, ut ardorem animorum pugnantium, quorum nemo illum terrae motum senserit, admiremur (1); damna quoque memorat, sed regiones, quae prostratae sint, nominatae non sunt, denique temporis spatium dicit, ex quo colligendum est Livium in terrae motu enarrando ab illo atroci proelio describendo non excessisse. Contra apud Coelium et Ciceronem pugnae tempus, antequam terrae motus memoratur, proditum est. Atque etiam de ipso temporis spatio inter duos scriptores discrepantiam quandam invenimus. Coelius enim apud Ciceronem ita habet: « Itaque t r i b u s h o r i s concisus exercitus atque ipse [Flaminius] interfectus est »; quibus ex verbis perspicitur tempus pugnae, ad lacum Trasumenum commissae, ut prodigii vis magis magisque eniteat, memorari; Livius, contra, cautius (XXII, 6, 1): « tris f e r m e horas pugnatum est et ubique atrociter ». Neminem, opinor, illud verbum « f e r m e » effugerit, ex quo Livium ne hac quidem re uno Coelio confisum esse manifesto apparet.

F r a g. 3 4 (Cic. *de div.* I, 24, 48) Prodigium memoratur. *Nauta* (2), quem secutus est *Meltzer* (p.27), ex eo quod Livius (XXIV, 3,6) diserte auream illam columnam commemoravit solidamque fuisse addidit, ad hanc Coelii narrationem eum respexisse effecit. *Sturmius* autem (p. 42) ex silentio Livii, quo narrationem illam Cic. praetermittit, contraria colligit, praesertim cum altero etiam loco (XXVIII, 46, 16) Iunonis Laciniae templum commemoretur et ne minimum quidem huius fr. vestigium exstet. At nos *Lachmanno*

---

(1) Hi autem terrae motus non memorantur a Polybio, sed tamen a Zonara (VIII, 25), a Plutarcho (in *v. Fabii* c. 3) et a Plinio (2, 84, 200), qui omnes cum Livio congruunt traduntque adeo intentum pugnae animum militum esse, ut illum terrae motum non senserint. In quo hi tres scriptores et Livius omnino fere a Coeliana narratione distant. Qua de re vide STURMIUM, p. 20.

(2) NAUTA, *De L. Coelio Antipatro historico belli Pun. sec.* in *annalibus academiae Lugdunensis—Batavae*, a. 1820-21, p. 53.

adsentimur, qui (« *De font.* », II, p. 20) iudicavit Coelium operi suo etiam res minoris momenti inseruisse « *a Livio postea praetermissas (cf. historiolas ap.* Cic. *de div. I, 26* et q. s.*)* ». Atque etiam ex silentio Livii, quo narrationem illam, quae quidem apud nullum praeterea scriptorem, (ut recte animadvertit *Meltzer*, p. 27), invenitur, praetermisit, nobis negare non licet Livium ante oculos Coelium habuisse (quod placuit *Sturmio*), sed tantum Livium narratiunculas nonnunquam irrisisse atque respuisse.

Frag. 49 (Cic. *de div.* I, 26, 55) Titi Latinii somnium commemoratur. Quod prodigium enarrat Livius (II, 36) qui, ut *Meltzer* (p. 29) recte animadvertit, in nonnullis a Coelio et a Cicerone recedit. Nos hoc tantum commemoratione dignum censemus, Livium rusticum Romanum, cui somnium fuerit, nominatim commemorasse: « *Tito Latinio* de plebe homini somnium fuit »; Coelium autem simpliciter dixisse: « *cuidam rustico Romano* dormienti visum est ». Hoc vero T. Latinii nomen apud Dionysium invenitur (VII, 68); quem, cum ludorum descriptionem (VII, 71) ex Fabio se hausisse ipse testetur, etiam ab eodem scriptore hoc nomen sumpsisse conicio. Quod si recte iudicatum est, haud dubie contendere possumus Livium in hoc T. Latinii somnio enarrando praeter alios auctores, eundem Fabium adhibuisse. Quocum Coelius, — cuius quidem germanam narrationem Fabio Gellioque adscriptam apud Ciceronem nos habere apparet (cf. *Meltzerum,* p. 29), — adeo consentit, ut ex eodem fonte utrumque scriptorem hausisse, id quod fortasse etiam per se e Ciceronis verbis colligi potest (1), certum sit.

Frag. 50 (Cic. *de div.* I, 26. 56) C. Gracchi somnium memoratur, quod quidem Val. Max. (1, 7) et Plut. (*C. Gracch.,* I) proferunt; sed Gracchorum res gestae cum toto Liv. libro LXI (ut inter omnes constat) adhuc desiderantur.

Ex his omnibus efficere par est nihil, quod quidem de opere Coeliano apud Ciceronem servatum sit, in Livium fluxisse, quin ab aliis quoque annalium scriptoribus (praesertim a Fabio) proditum sit.

(1) Cic. *de div.* I, 26, 55: « Omnes hoc historici *Fabii, Gellii, sed proxime Coelius.* Cum bello latino ludi . . . »

Ad reliqua Coeliana fragmenta nunc disserenda transeamus, quae apud grammaticos inveniuntur.

Fr. 5 (Non. 2. v. bellosus p. 80) Coelius: « Tantum bellum suscitare conari adversarios contra bellosum genus ».

Ad hoc fr. *Nauta* (l. l., p. 22) comparavit Hannonis orationem apud Livium XXI, 10,3: « obtestans ne Romanum cum Saguntino suscitarent bellum ». Sed quisnam ex illis verbis continuatis et coniunctis « bellum suscitare » Livium hanc orationem ex Coelio tantum hausisse temere affirmet? Praeterea cum *Sieglinus* (l. l., p. 9), haud spernendis argumentis nisus, ad Caecilium poëtam, potius quam ad Coelium, hoc fr. pertinere putaverit, cumque etiam Liviana illa verba *Woelfflinus*, firmis argumentis (1) nisus, uncis incluserit, quis certi quidquam colligere ausus sit?

Frag. 6 (Priscian. X p. 886 P. 510 H.) Coelius in I: « Qui cum is ita foedus icistis ».

H. Peter (p. 148) opinatus est in eadem Hannonis oratione, quam supra commemoravimus, haec verba dici potuisse (2). Atque etiam nonnulli viri docti, praesertim cum forma perfecti *icit* a Livio l. XXI, 18, 10 primum adhibita sit, Livium Coeliana illa verba ante oculos habuisse opinati sunt, cum haec scriberet: « C. Lutatius consul primo nobiscum foedus icit..... ». Attamen illa verba continuata et coniuncta « foedus icere » apud Livium quam saepissime inveniuntur. Cuius rei pauca exempla lubet proponere:

Liv. 21. 18. 10; 31. 2. 11 foedus icit
21. 18. 10 foedus ictum erat
21. 18. 10 foedus ictum est
30. 42. 21 foedus icturi
40. 8. 9. foedus icisse.

Quis igitur ex illis verbis « foedus icere » (quae quidem trita atque percepta usu a Romanis sunt) totam orationem ab Hannibale in senatu Carthaginiensi habitam Livium ex Coelio hausisse, affirmare audeat?

Frag. 8. (Priscian. VIII 801 P. 399) Coelius in I: « Qui intellegunt quae fiant, dissentiuntur ».

(1) Woelfflin, in ed. lib. XXI, pag. 131. (cf. etiam Sturmium, p. 38).

(2) Gilbertus contra (*Die Fragm. des L. Coel. Ant.*, Fleckeisens Iahrb. X S. Bd. 1879, p. 404) hoc fragmentum una cum superiore ad orationem a Fabio in senatu Romano habitam retulit.

Quem ad locum recte hoc fr. revocandum sit, inter doctos discrepat. Ut ceteros omittam, *Sieglinus* (l. l., p. 20) ad Hannonis orationem illud refert, coll. Liv. XXI, 4, 1: « *pauci ac ferme optimus quisque Hannoni adsentiebantur* ». Sed nemo erit, opinor, qui ex uno verbo Livium ex Coelio hausisse efficiat.

Frag. 9 (Non s. v. dedicare p. 280). Coelius in annalium libro I: « Legati quo missi sunt, veniunt, dedicant mandata ».

Nauta (p. 24) et *Meltzer* (p. 17) haec verba referenda esse putaverunt ad Liv. XXI, 18, 3: « Romani postquam Carthaginem venerunt, cum Q. Fabius nihil ultra unum quod mandatum erat, ... ». Sed, praeterquam quod aliquid inter Coelium et Livium hoc ipso loco intercedit—ille enim scribit *mandata* (ergo complura) (1), hic diserte *nihil ultra unum quod mandatum erat* (scilicet de bello indicendo), — nemo , puto, erit , qui ex uno verbo (Coel.: *mandatum,* Liv.: *mandata*) certi quidquam temere colligat.

Frag. 12 (Charis. II p. 183 P. 203 K.) Coelius hist. I: « Sempronius Lilybaeo celocem in Africam mittit, visere locum, ubi exercitum exponat ».

Quod fr. nonnulli viri docti (ut *H. Peter*, op. laud., p. 150, adn., 12) ad Livium (XXI, 17, 6) retulerunt. Sed inter duos scriptores aliquid (id quod iam vidit *Sturmius*, lib. laud., p. 11 - 12) intercedit. Namque apud Coelium Sempronius cum iam in Sicilia sit, *Lilybaeo* celocem in Africam mittit; contra apud Livium ille consul Romanus missus est *in Siciliam ita in Africam transmissurus, si ad arcendum Italia alter consul satis esset.* Ac ne ad c. 49-51 l. XXI quidem hoc fr. ullo pacto referri potest, ut firmis argumentis demonstravit *Sturmius* (l. l., p. 11-12). Demum apud Polybium nihil de celoce in Africam a Sempronio missa invenimus. Atque, si quid video, ex eo quod hanc narrationem Coelianam Livius praetermisit, unum hoc efficere possumus omnes res gestas, quae a plerisque auctoribus traditae non sint, a Livio acri iudicio praetermissas esse.

Frag. 22 (Priscian. III p. 607 P. 98 H.) « Coelius in primo historiarum: Dextimos in dextris scuta iubet habere ».

C. Peter (p. 80) haec Coeliana verba ad Liv. (XXII, 50, 11) retulit: « *translatis in dextrum scutis* » et Livium in illa pugna

(1) Id quod iam animadvertit STURMIUS, *l. l.*, p. 6.

Cannensi describenda temere Antipatro usum esse contendit. Atque sane, ut *Meltzero* (p. 20) videtur, magnam haec coniectura prae se fert veritatis speciem.

H. Peter (1) vero nimium in hac re egressus est atque temere (p. CCXXIX) haec affirmavit: « ... in hac narrationis Livianae parte [sc. de pugna Cannensi] quae non redeant ad Polybium quaedam cum fragmentis Coelianis (fr. 22, 25; cf. adn.) concinant, Coelium nos habere apud Livium contaminatum cum Polybio consentaneum est ». Sed (ut iam animadvertit *Sturmius*, p. 20) inter Livium et Coelium aliquid intercedit; namque apud

(1) Hic vir doctus et acutus ea quae Livius ex Coelio hauserit, statuere nisus est; at vero, nostra quidem sententia, longius quam ut par sit egressus est, ut ex his verbis colligi potest (PET. p. CCXXV): « In primis autem Livius in III decade multum Coelium exscripsit et *cum Polybius eius desideria non omni ex parte expleret, narrationem Polybianam supplevit ex Coelio, cui quae de rebus urbanis inseruit pleraque et fabulas quasdam debet* ». Atque paulo post (p. CCXXVIII) ita scribit: « *Haud dubitanter ... quae Liviana non ex Polybio originem ducunt, in primis septem libri XXII capitibus ad Antipatrum referemus* ». Ac quidem profecto H. PETER viam (in certos, ut arbitror, inducentem errores), quam LACHMANNUS ingressus erat, secutus est. Qui enim rationes quasdam investigandi quaenam res locive ex Coelio in Livium fluxerint, primus statuisse mihi videtur, atque fere omnia Liviana, quae non redeant ad Polybium, fabulas quasdam et narratiunculas, quarum nihil ab hoc proditum sit, ex Coelio deprompta esse contendit. Quod, ut patefaciamus, pauca exempla lubet proponere (*De font. L.*, II p. 36): « Sed in fine cap. (XXII lib. XXI) Hannibalis somnium [Livius] adiecit, quem locum e Coelii historiis desumptum esse comparatio cum Cic. *de Divin.* I, 24 docet. *Ex eodem alia quoque ibi narrata deprompta esse videntur. Polybius enim nec de hac re, nec de exercitu Gades convocato votisque factis quidquam tradidit* ... Cap. 23 ad Polybium redit. »; — (p. 43): « A Polybio etiam ... dissentit [c. 49-51 lib. XXI] ... *E Coelio pleraque desumpta esse puto, quoniam hic saepius* a Livio in hoc libro (XXI) adhibitus est .. »;— [p. 44 (de cap. 5 et 6 ad medium lib. XXII)]: « E Coelio pleraque sumpta esse persuadet locus apud Cic. *De Div.*, I, 24 cf. *de Nat. Deor.* II, 3. *Coelii ingenio similia quaedam debentur* 29, 25 et 27 et al. Et Coelius (ut Liv. c. 6) tradiderat tres ferme horas pugnatum esse, de quo nihil apud Polybium legitur. »;—[p. 45 (de cap. 23 lib. XXII)]: « ... *alia fortasse a Coelio accepta*. C. 24 eumdem sequi videtur ». At vero rectissime ille vir doctissimus (p. 21) Antipatrum cum diligentia et iudicio a Livio adhibitum esse animadvertit; at tamen LACHMANNI rationem omnes fere viri docti (praesertim H. PETER, G. MICHAEL, G. SOLTAU aliique) ita secuti sunt, ut in illius hominis clarissimi modica sententia augenda nullum modum habuerint.

illum omnes milites, scuta in dextrum transferunt, apud hunc ii solum, qui dextimi positi sunt, in dextris scuta iubentur habere.

Quod si recte iudicatum est, efficitur, cum Livius in hac re Coelium omnino secutus non sit, par esse ut illum solum fontem in tota narratione non adhibuerit. Postremo cum illam atrocissimam pugnam Cannensem in secundo libro historiarum a Coelio narratam fuisse constet (vide *Meltzerum*, p. 20), quis certi quidquam affirmare audeat?

Frag. 25 (Gell. X, 24, 6) « Suppetit etiam Coelianum illud ex libro historiarum secundo: « *Si vis mihi equitatum dare et ipse cum cetero exercitu me sequi, die quinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta* ».

Adnexuit haec Gellius: « Et historiam autem et verbum hoc sumpsit Coelius ex Origine M. Catonis, in qua ita scriptum est: Igitur dictatorem Karthaginensium magister equitum monuit: *Mitte mecum Romam equitatum; die quinti in Capitolio tibi cena cocta erit* ».

Eadem fere verba inveniuntur ap. Macrob., *Sat.* I, 4. Similiter rem narrat Livius XXII, 51, 2: Maharbal, praefectus equitum, minime cessandum ratus « immo ut, quid hac pugna sit actum, scias, die quinto, — inquit, — victor in Capitolio epulaberis. Sequere: cum equite, ut prius venisse quam venturum sciant, praecedam ». Itaque, ut testatur Gellius, quid consilii Maharbal post pugnam Cannensem Hannibali dederit paene ad verbum ex Catonis Originibus Coelius vertit; unde effici potest ut Livius hanc historiolam, Catonis quidem et Coelii narrationibus usus, tradiderit. Huiusce autem generis fabellas, ut etiam per se ex eisdem Gellii verbis colligi potest, alius ex alio rerum scriptores excribebant.

Frag. 26. (Priscian. VI p. 678 P. 198 H.) Coelius: « Nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam brevi spatio datas arbitror quam vobis ».

Quae Coeliana verba Livium ante oculos habuisse plerique viri docti (ut *Lachmannus*, « De font. » II, p. 114; *Meltzer*, p. 35; *H. Peter*, p. 154 aliique) statuerunt, cum haec scriberet: « pro his tantis totque victoriis verum esse grates deis immortalibus agi haberique » (XXIII, 11, 12). Nos—praeterquam quod, *Gilbertum* (« D. Frag. » p. 449), cui adsentitur *Sturmius* (p. 38), secuti, inter duos re-

rum scriptores discrepantias quasdam invenimus—e paucis illis admodum similibus verbis (Coel.: *tol .... tantas*, *tam .... victorias;* Liv.: *pro .... tantis totque victoriis)* tale quidquam colligere dubitamus.

Fr. 44 (Non s. v. congenuclare p. 89) Coelius annali lib. VII: « Ipse (1) regis eminus equo ferit pectus advorsum, congenuclat percussus, deiecit dominum ».

Meltzer (p. 24) aliique ad Liv. XXX, 12, 1 haec verba retulerunt: « Ibi Syphax... equo graviter icto effusus opprimitur capiturque » (de re cf. App., VIII, 26; Sil. It., XVII, 134 sqq.). *Guilemus Soltau* (2) ex hoc fr. effecit (XXX, 37) ea quae et de Syphace capto (XXX, 11-12) et de pugna apud Zamam commissa tradita sunt, praeterea caput 44 l. XXX, Livium ex Coelio hausisse. Sed ille doctus vir in hac re modum excessisse mihi videtur (3). Nos ex illo Coeliano verbo « ipse » (4) colligimus eum, qui regis equum percusserit, ab Antipatro antea commemoratum esse; quapropter duas quidem narrationes distingui posse putamus: quarum priorem, in qua eius qui equum percusserit, nomen exstaret, fortasse a solo Coelio, alteram fere ab omnibus ceteris rerum Hannibalicarum scriptoribus traditam esse verisimile est, ut etiam ex eo perspicitur, quod hanc Livius et Appianus secuti sunt. Qui haud dubie nec praetermisissent, quin eum qui equum percusserit, commemorarent, si plerique auctores hoc tradidissent; nec Appianus τὶς

---

(1) Ac quis ille *ipse* fuerit inter viros doctos discrepat. H. PETER (p. 160) C. Rutilium, O. GILBERTUS (*D. Fragm.*, p. 457) et is, qui ipsi adsentitur, STURMIUS (p. 34), Massinissam illum fuisse putant. Sed cum H. PETERI sententia in dubium revocanda est, quippe quae tantum Silii Italici (XVII, 134 sqq.), — qui, ut par est, res poëtarum more exornavit,—auctoritate nitatur, tum nullum argumentum habemus, quod GILBERTI coniecturae opponamus.

(2) In libro *Coelius und Claudius im 23. bis 30.* Buch., inscripto (*op. laud.*, p. 73).

(3) Enimvero, mea quidem sententia, GUILELMUS SOLTAU in Livianis fontibus statuendis nimium egressus est. Vide ea quae contra attulerunt et HENRICUS COCCHIA (in *Rivista di Filologia e d' Istruzione classica*, Anno XXVII, Fasc. I., Genn. 1899, p. 156-157) et CAROLUS PASCAL (*op. laud.*. p. 69-70).

(4) Livius contra haec simpliciter scribit: « equo graviter icto ». Appianus autem ita habet: « τὶς αὐτοῦ Σύφακος τὸν ἵππον ἔβαλεν ».

simpliciter scripsisset, nec Livius de more suo (1) diversas narrationes non distinxisset.

Fr. 45. (Non. s. v. soluerit p. 508) Coelius annali lib. VII: « Duos et septuaginta lictoris domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri ».

Nauta (p. 46), quem secuti sunt *Meltzer* (p. 24) aliique, hoc frag. coniunxit cum eis quae leguntur ap. Liv. XXX, 28, 7: « non esse hodie tot fasces magistratibus Populi Romani quot captos ex caede imperatorum praeferre posset Hannibal ». At contra *H. Petero* (p. 161) ex oratione Poeni alicuius Hannibalis laudes persequentis, *Sturmio* demum (p. 36) ex oratione Carthaginiensis cuiusdam (fortasse ipsius Hannibalis) hoc fr. sumptum esse videtur. Quomodocumque res se habet, hoc unum certum, praeter verbum *fasces* (Coel.: *fascis*), nullam inter duos scriptores similitudinem haberi.

Fr. 55. (Serv. ad Aen. III 206) Coelius: « Maurusii qui iuxta Oceanum colunt ».

Quod fr. *Nauta* (p. 38), quem secuti sunt *H. Peter* (2) (p. 163) aliique, ad Liv. XXIV, 49, 5 retulerunt. At vero G. *Michael* (3) et *Meltzer* (p. 26) longius quam ut par sit progredi nobis videntur, adfirmantes Livium non horum verborum tantummodo, sed totius illius narrationis fontem Coelii opus ante oculos habuisse (4). Namque, si quaerimus, pauca illa Coelii verba nihil aliud indicant nisi ieiunam quandam de Maurusiorum regione descriptionem; nec ea sunt, ut cum Liviana narratione comparentur. Postremo, cum duo scriptores non re falsa et vana, sed vera et fida concinant inter se, cumque procul dubio Maurusiorum regionis descriptio ab omnibus scriptoribus Hannibalicis memoriae prodita sit, nonne optimo iure nobis licet efficere Livium eam rem ex aliis quoque fontibus, praeter Coelium, hausisse?

Restat ut de fr. 61-65 pauca addamus. At dubia res est,

---

(1) Cf. infra ad fr. 40.

(2) Hic tamen vir doctus ita scribit (*o. l.*, p. 163): « Similibus fere verbis Maurusiorum mentionem facit Livius XXIIII, 49 » haec statim adiiciens: « quamquam et alia in re eadem de Maurusiis dicere potuit Coelius ».

(3) G. MICHAEL, *De ratione, qua Livius in tertia decade opere Polybiano usus sit*, Diss., Bonnae, 1867, p. 39.

(4) Cf. quid de hac re opinatus sit STURMIUS, *l. l.*, p. 36.

num haec fr. ad Antipatrum recte pertineant, ut acutissime disputavit *H. Peter* (p. CCXXXIII); et iam *O. Meltzer* (p. 35) dubitaverat num re vera Coelio tribuenda essent illa fr., quae quidem apud Fest. s. v. ocius p. 181 M. et apud Schol. Veronensem ad Verg. Aen. V. 121 (ap. *Pet.* fr. 63-64) invenimus. Atque uterque locus adeo misere corruptus est, ut aliquid de iis statuere fere hominis temerarii sit. Ceterum fr. 61-62 ita ieiuna mihi videntur, ut ad quas res gestas referenda sint minime diiudicari possit.

Ut omnia paucis complectamur, occurrerunt nobis 12 fr. (1, 2, 4, 13, 15, 35, 50, 51, 52, 53, 54, 56), quae apud Livium omnino non exstant; 35 fr. (3, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 16, 22, 23, 24, 26, 27, 30, 31, 32, 36, 37, 38, 41, 43, 45, 46, 47, 48, 55, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 64, 65), unde nihil certi colligi potest; 2 fr. (12, 34) a Livio peracri iudicio praetermissa; 2 fr. (11, 44), ex quibus efficitur Livium communem famam diversam a Coeliana secutum esse; denique 4 fr. (19, 20, 25, 49), unde dilucide apparet Livium non Coelium solum, sed alios quoque scriptores, — Fabium quidem (fr. 49) et Catonem (fr. 25)— secutum esse.

Nunc si omnia, quae disputavimus, brevi perstringere volumus, hoc sane tenendum est: nihil ex reliquiis, quae quidem Coelianarum historiarum supersint, exstare, quod certe in Livium fluxerit, quin a pluribus auctoribus, et iis quidem fide dignis, Livius hauserit.

Nunc, ut erat propositum, de iis Coelianis fragmentis disputemus, quae apud Livium legimus.

Sed, ut ad caput disputationis nostrae veniamus, quaestio nunc illa excutienda est de ratione, qua Livius in laudandis scriptoribus usus sit. Ac primum, occasione data, id monendum puto nos iis minime adsentiri, qui, cum in fontibus Livianis explorandis animo praeoccupati ad singulos Titi locos interpretandos accesserint, Livium ex eo quod hic illic auctorem quendam, prolato nomine, laudaverit, istius vestigiis per longam capitum seriem institisse, arbitrentur (1).

(1) Ut inter omnes constat, NISSENIUS (« *Untersuchungen* ». p. 77),— cuius argumenta refellit comminuitque RUGERIUS BONGHI (« *Storia di Roma* »,

Id quam longe a veritate abhorreat, ostendere nunc nobis est institutum. Quin etiam hoc exploratum et firmum habemus: ad singulos Livii auctores eos tantum pertinere locos, in quibus illi laudantur, non eos qui statim subsecuntur; in quam opinionem propterea inducimur, quod Livius aut ut novi aliquid addat, aut ut rei suspectae testem afferat, aut ut scriptorum vitia erroresque adnotet nomina eorum laudat (1). Quibus de rebus vide quae nuper accurate disputavit *Carolus Pascal* in libro illo elegantioris doctrinae, qui est de Valerio Antiate T. Livii auctore (cf. op. laud., p. 70-72) (2). Atque hic vir clarissimus prorsus novam viam in fontibus Livianis declarandis ingressus est; et cum haud leviter Livium nonnumquam falli confessus sit, tum etiam contendit totius operis Liviani singulis auctoribus illas tantummodo tribuendas res, quae eorum nomina proferant, non ceteras quae sequuntur, sententiamque illorum, qui Livium ex aliis

---

II p. 356-429; cf. quae habet HENRICUS COCCHIA in comm. l. XXII T. Livii praemisso, Aug.Taurinorum, ap. H. Loescher, p.XII),—aliique Livium in annalibus suis nihil aliud fecisse quam unum auctorem exscribere et, cum hic eius desideria non omni ex parte expleret, narrationem ex alio auctore supplevisse, iudicaverunt. Atque opus Livianum nihil aliud nisi inane quoddam rhetoricae exercitationis genus nonnulli viri docti putaverunt; qua re factum est, ut diutissime permulti NIEBUHRIO (*Vorträge ueber R. G.* 2, 62—3) adsensi sint, qui Livio, a tertio Polybii libro dissentienti, parum fidei tribuendum esse iudicavit. Cuius quidem iudicium, quamvis NISSENIUS (*Rhein. Museum* 22, 564) et LUDOVICUS VON WINCKE (*Der zweite punische Krieg und der Kriegsplan der Carthager*, Berlin 1841, p. 65) paulo cautius secuti sint, tamen confirmavit SEEKIUS (*Hermes* 8, 152; *Der bericht des Livius ueber dem Winther* 218/17 v. Chr.); quae autem contra attulerunt TARTARA (in libro qui inscribitur « *Dalla battaglia della Trebbia a quella del Trasimeno* » Torino, 1882,) et NEUMANNIUS (« *Das Zeitalter der Punischen Kriege* », Breslau, 1883, p. 283) *et* FALTINIUS (*Der Einbruch Hannibals in Etrurien* in *Hermes* 20, 70-80) fere ab omnibus neglecta sunt; sed H. COCCHIA demum in comm. iam allato, p. LIII sqq. firmis argumentis id saltem statuit plerisque in locis Polybium a Livio emendatum esse; quin etiam—id quod omnes fateri debent,—ille vir clarissimus iniustum rhetoris nomen Livio detrahens, hunc historiis perscribendis maxime idoneum fuisse evicit.

(1) Qua de re vide etiam quae habet KLINGER, *De decimi Livii libri fontibus*, Lipsiae, 1884, p. 17.

(2) Ille autem vir doctus (*op. laud.*, p. 72.-73) ex libris XXI-XXX aliquot locos excerpsit, unde exstat atque eminet Livium ex permultis fontibus doctrina et ratione hausisse et falli eos, qui tota capita, nonnumquam haud exiguas libri partes, temere ex eodem auctore exscripsisse, iudicent.

alibi fontibus temere ac nulla ratione hausisse censeant, novis et firmis argumentis refutavit; quin etiam quaenam fuerit Livii ratio in fontibus laudandis et adhibendis acuto iudicio statuit atque proposuit. Ac sane nos in hac re hunc virum doctum perstric-

---

Quod, ut novis testimoniis confirmemus, alios locos, ex reliquis Livii libris [I-X, XXXI-XLV] excerptos, hic praestat afferre:

Liv. I, 24.	Auctores utroque trahunt; plures tamen invenio...: hos ut sequar, inclinat animus.
I, 55.	Eo magis Fabio.... crediderim...., quam Pisoni.
II, 18.	Apud veterrimos tamen auctores....
II, 21.	Apud quosdam invenio.
II, 40.	Invidia rei oppressum perisse tradunt alii alio leto. Apud Fabium, longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem invenio.
III. 22.	Apud plerosque auctores invenio:... certum adfirmare, quia nulla apud vetustiores eius rei mentio est, non ausim.
III, 26.	Seu fortasse fodiens...., seu cum araret, operi certe, id quod constat, agresti intentus.
IV, 7.	Idque monumenti ést consules eos illi anno fuisse..... Licinius Macer auctor est.
IV, 20.	Omnis ante me auctores secutus.... Qui si ea in re sit error, quod tam veteres annales, quodque magistratuum libri, quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores.
IV, 23.	Apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias et Q. Tubero.,.. edunt. Ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur; neuter tribunos militum eo anno fuisse traditum a scrirptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet; et Tubero incertus veri est. Sed inter cetera vetustate inconperta hoc quoque in incerto positum.
VI, 12.	Quod quum ab antiquis tacitum praetermissumque sit.....
VI, 42.	Auctor est Claudius.... Pluribus auctoribus magis adducor.
VII, 6.	Cura non deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret, nunc fama rerum stadum est, ubi certam derogat vestutas fidem.
VII, 21.	Per onimum annalium monumenta.,..

te sequimur. Atque etiam, ut a disputandi subtilitate quaestionem ad exempla traducamus, ad Coelium revertamur et quaenam fuerit Livii ratio in libris Coelianis adhibendis statuamus.

Liv. VIII, 30.	.....traduntur. Auctores habeo...; apud antiquissimos scriptores... invenitur; in quibusdam annalibus tota res praetermissa est.
VIII, 30.	Credere libet Fabio auctori.
IX. 5.	Itaque non, ut vulgo credunt, Claudiusque etiam scribit.
IX, 15.	quibusdam in annalibus invenio....
IX, 15.	sequitur hunc errorem alius error....
IX, 36.	habeo auctores....
IX, 44.	Hos consules Piso... suggerit.—Memoriane fugerit in annalibus digerendis an consulto binos consules, falsos ratus, transcenderit, incertum est.
IX, 46.	invenio in quibusdam annalibus...
X, 2.	in quibusdam annalibus invenio....
X, 5.	habeo auctores....
X, 9.	Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium auctor Piso effecit.
X, 37.	Auctor est Claudius—Fabius... scribit.
XXXII, 6.	Valerius Antias... tradit—Ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales....tradunt.
XXXIII, 10.	Si Valerio quis credat—Claudius quoque—Nos.... Polybium secuti sumus.
XXXIII, 36.	Valerius Antias—Claudius.
XXXIV, 15.	Valerius Antias—Cato.
XXXVI, 19.	Polybio auctore-Quid si Antiati Valerio credamus....
XXXVII, 48.	Valerius Antias auctor est. Rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo, neque adfirmata res mea opinione sit nec pro vana praetermissa.
XXXVIII, 56.	In diversum trahunt, ut cui famae, quibus scriptis adsentiar non habeam. Non de accusatore convenit: alii.... alii... scribunt; non de tempore.., non de anno..., non ubi mortuus aut elatus sit.
XXXIX, 43.	Valerius Antias, ut qui nec orationem Catonis leggisset.....
XXXIX, 50.	Ab scriptoribus rerum Graecis Latinisque tantum huic viro tribuitur.
XXXIX, 52.	Et Polybius.... et Rutilius...scribunt. Ego neque his neque Valerio Antiati adsentior... Antiatem auctorem refellit tribuns plebis M. Naevius.

Undecim locis Livius Coelium laudavit. Quos quidem locos in duo genera dividi praestat; quorum unum ab narratione Liviana discrepat, alterum Antipatri leviter reprehendendi occasionem Livio praebet. Ac primum de Coelianis illis fragmentis disputemus, e quibus Antipatrum, quod ab aliis abhorreret scriptoribus, a Livio commemoratum esse appareat.

Frag. 14 (Liv. XXI, 38, 5) « Taurini Galliae proxuma gens erat in Italiam degresso. Id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi, quanam Alpis transierit (1) et vulgo credere Poenino — atque inde nomen ei iugo Alpium inditum — transgressum [Hannibalem], Coelium per Cremonis iugum dicere transisse ».

Woelfflinus (2), pluribus argumentis, praecipue Ammiani (qui Coelianorum epitomen a M. Bruto conscriptam, ut quidem ille vir doctus putavit, adhibuerit) narratione (XV, 10, 10 sq.) nisus,

Liv. XLII, 11.	Valerius Antias.... scribit — Plurium annales, et quibus credidisse malis,.... tradunt.
XLIV, 13.	De Eumene rege longe diversa tradunt. Si Valerio Antiati credas,.....
XLIV, 15.	Claudius nihil responsum auctor est—Alii responsum esse tradunt.....
XLV, 44.	Haec de Prusia nostri scriptores. Polybius... tradit...

Ex his insignibus testimoniis aliisque, quae in opere Liviano quam plurima inveniuntur, permultis auctoribus Graecis Latinisque usum esse et singulare studium in rebus tradendis (1) posuisse, Livium patet.

(1) De re ipsa antea quidem a viris doctis in varias partes acerrime agitata, hoc loco esponere longum et supervacaneum est. V. ea quae accurate disputavit Henricus Cocchia in appendice comm. lib. XXI T. Livii, (p. 141 sqq.) et in comm. lib. XXII T. Livii praemisso, (p. XVIII sqq.) et nuperrime Raphael Grasso *(La leggenda Annibalica nei nomi locali d' Italia,* in « *Rivista di storia antica,* Padova, Anno IX, Fascicolo I, p. 37-39 »).

(2) Woelfflin, « *Antiochus von Syracus u. Coelius Antipater* », Winterthur, 1872, p. 50.

(1) Praeter superiores locos (praesertim IV, 20 et 23; VIII, 30; IX, 44; XXXVIII, 56), ad hos animus nobis advertendus est:

Liv. XXII, 13	Omnium prope annales... tradunt. Coelius etiam scribit, sed et Coelium et ceteros fugit.
XXX, 19	Obscurior eius pugnae fama est. Valerius Antias... ait, quae tanta res est, ut aut impudenter ficta aut neglegenter praetermissa.

Hannibalis per Alpes iter ex Coelio in Livium fluxisse contendit. Sed res longe aliter se habet; namque *V. Gardthausenius* (1) firmis argumentis demonstravit Ammianum Coeliumque inter se aperte pugnare; Ammianum autem non ex Coelianorum epitome, sed ex Livio aliisque rerum scriptoribus hausisse (2). Utcumque haec res se habet, cuivis, qui animo non praeoccupatus ad hunc Livianum locum (XXI, 38, 7) accesserit, Coelii famam Livium non probasse perspicuum erit. Livius enim Hannibalem per Alpes Cottias transeuntem (3) prodit, Coelius autem per Cremonis iugum (4). Hoc quidem ipsum certissimum, Livium cum ambigi admiraretur, quanam Alpis Hannibal transierit, et vulgo credi Poenino... transgressum [ib.], Coelium, quia ab aliis abhorreret scriptoribus, allato nomine, commemorasse. Itaque Coelio illam tantummodo rem, quae eius nomen afferat, optimo iure adscribendam esse putamus.

Frag. 17 (Liv. XXI, 46, 10) « Servati consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat; malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit. »

Quo in loco hoc quidem in primis commemoratione dignum censeo: Coelio, qui servati P. Scipionis consulis decus ad servum natione Ligurem delegaverit, et plures auctores et vulgarem famam Livium opposuisse.

Boettcher (5) hunc locum perlegens, Coelium certissimum auctorem a Livio habitum esse censuit; quam sententiam *Gilbertus* (« Die Frag. », p. 432), cui adsentitur *Sturmius* (p. 15), infirmare studuit, afferens, [illegible] si ita se res haberet, certe Livium pro coniunc-

---

(1) V. Gardthausen « *Ueber die geographischen Quellen des Ammianus* ». Jahrb. f. class. Philol. VI S. Bd.

(2) Iam Lachmannus, (« *De font.* » Comm. alt., pag. 28) Ammianum et Silium Italicum in Hannibalis itinere describendo *fortasse* Livio usos esse animadverterat.

(3) Cf. F. Lach., *op. laud.*, Comm. alt., p. 38.

(4) Fortasse Cramont: in qua quidem sententia omnes fere viri docti concinunt (H. Peter, *op. laud.*, p. CCXXXVIII; H. Cocchia in comm. l. XXI T. Livii, p. 90 adn. 7).

(5) Boettcher, *Krit. Unters. ueber d. Quellen des Livius im XXI. und XXII. Buch.* V. S. Bl, Jahrb. f. class. Philol., Leipzig, 1869, p. 397.

tivo praesentis *malim* imperfectum *mallem* scripturum fuisse; quin etiam, ut ait *Sturmius* (ib.), ex usu « con. potentialis ..... *malim* pro *malo* positum esse apparet ». Sed, ut sane planeque intellegitur, *malim* idem valet ac *magis inclinet animus* sive *potius credam* sive *mihi credere libeat* (1) (italice: « *io preferirei* piuttosto di credere »).

Nos igitur totum Livianum locum ita interpretamur: « Coelius servati consulis decus ad servum natione Ligurem delegat; mihi credere libeat de filio verum esse, quod plures tradidere auctores et fama obtinuit; sed id ne pro certo ponerem, scriptor Coelius effecit. » (2)

Ac ne quis forte dicat Livium servati patris decus Scipioni adulescentulo tribuisse, hoc animo, ut pietatis erga parentes nobile exemplum proferret (3) et praeclarum facinus non vili mancipio, sed ingenuo adulescentulo assignaret ad Romani nominis gloriam magis illustrandam (4), nos quidem putamus nullam in eum huiuscemodi suspicionem cadere posse, eo quod cautius suam sententiam protulerit.

Sed utcumque se res habet, haec duo quidem sunt quae firmata esse volui: primum, Livium in auctoribus adhibendis et examinandis ita diligentem fuisse, ut rerum scriptores eandemque famam maximi ponderis faceret; alterum, quamvis plures auctores et vulgaris fama de filio tradidissent, tamen, cum Coelius a ceteris discreparet, illum antiquitatis investigatorem clarissimum rem pro certo ponere veritum esse.

Frag. 27 (Liv. XXVI, 11, 8) « Huius populatio templi [ad lucum Feroniae] haud dubia inter scriptores est. Coelius Romam euntem ab Ereto devertisse eo [sc. ad Feroniae templum] Hannibalem tradit, iterque eius ab Reate Cutiliisque et ab Amiterno orditur ».

Livius verbis statim insequentibus ita Hannibalis iter a Tutia flumine ante brevius traditum, accuratius describit: « Ex

(1) Cf. Liv. I, 24: Hos [auctores] ut seqnar inclinat animus; I, 55: Eo magis crediderim......; VIII, 50: credere libet.

(2) Cf. Liv. X, 9: Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium scriptor Piso effecit.

(3) Vid. LACH., *op. laud.*, Comm. pr., p. 81.

(4) H. COCCHIA, in comm. l. XXII T. L. praemisso, Aug. Taur., Loescher, p. XXXIX.

Campania in Samnium, inde in Paelignos, pervenisse praeterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse; inde Albensi agro in Marsos, hinc Amiternum Forulosque vicum venisse ». Atque in ea, quae subtili iudicio statim addidit oculi sunt adigendi: « Neque ibi error est, quod tanti exercitus vestigia intra tam brevis aevi memoriam potuerint confundi—isse enim ea constat—, tantum id interest veneritne eo itinere ad urbem an ab urbe in Campaniam redierit » (1). (De re cf. Pol., IX, 4 sqq; App., XII, 33 sqq; Zon., IX, 6.)

Ex toto loco Liviano perspicuum est Coelium quidem memoriae prodidisse Hannibalem Romam euntem Feroniae templum populatum esse; Livium contra, plures auctores secutum, Poenum Roma redeuntem fanum spoliasse. Itaque Coelium eo, quod a reliquis abhorreret scriptoribus, a Livio commemoratum esse apparet.

Frag. 29. (Liv. XXVII, 27, 11) « Multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quae de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velim. Ut omittam alios, Coelius triplicem gestae rei ordinem edit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuerit, tertiam quam ipse pro inquisita ac sibi comperta adfert ».

Quo in loco, ne quid de dignitate, diligentia, industria iniuste Coelio detrahatur, praetermittendum non est Antipatrum triplicem de Marcelli morte narrationem edidisse.

G. Michael (2), cum Liviana illa narratio a Polybio abhorreret, cumque Livius extremo capite 27 Coelium commemorasset, ex hoc scriptore Livium totam narrationem hausisse opinatus est. Sed ex eo quod sciptor aliquis a Livio laudatur, colligi non posse mihi videtur Livium auctore illo etiam toto hoc loco usum esse. Quod optime animadvertit *Sturmius* (p. 29), qui haud spernendis argumentis confirmat Coelium hoc loco non esse fontem Livii. Ad ea argumenta, quibus *Michaelis* sententiam *Sturmius* comminuit, hoc certis-

(1) FRIEDERSDORFFIUS, (« *Das 26. Buch des Livius, eine Quellenuntersuchung.*, » Progr. Marienburg, 1874, p. 12) Livium hoc loco Coelium suo arbitrio correxisse coniecit; quam coniecturam nullo pacto recipiendam esse STURMIUS (*l. l.*, p. 24 sq.) iudicavit.

(2) G. MICHAEL, *De ratione, qua Livius in tertia dec. op. Polyb. usus sit*, Diss., Bonnae, 1867, p. 72.

simum addo, quo me confirmaturum esse spero Coelium hoc loco non esse solum Livii auctorem. Ego quidem ex eisdem Livianis verbis [ibid.] « ceterum ita fama [de Marcelli morte] variat, ut tamen plerique loci speculandi causa castris egressum, omnes insidiis circumventum tradant » censendum esse puto Livium, omnibus auctoribus examinatis, consensum ac discrepantiam rerum perpendisse, scriptores igitur omnes acri adhibito iudicio in suam rem vocasse.

Frag. 40 (Liv. XXIX, 27, 14) « Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse permultis Graecis Latinisque auctoribus credidi (1). Coelius unus, praeterquam quod non mersas fluctibus naves ceteros omnis caelestis maritimosque terroris, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum exponit, et prope obrutis navibus iniussu imperatoris scaphis haud secus quam naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse ».

Ex toto Liviano loco, si quid video, Coelium a Livio laudatum esse eo, quod eius fama a ceteris abhorreret scriptoribus, apparet. Coelius autem, ut rectissime animadvertit *C. Pascal* (2), « ad miram amplitudinem auxit aliquam tempestatis mentionem, quam apud quosdam scriptores invenit. Ii fortasse sunt scriptores, quos secutus est Appianus, *Pun.* 13 (VIII.13), qui illam in Africam traiectionem narrans, de tempestate leviter tangit, his tantum verbis: « ἐς ἣν [Ἰτύκην πόλιν] ὁ Σκιπίων καταχθεὶς ὑπ᾽ἀνέμων. " »

Atque, ut omnia absolvam, ad hunc Livianum locum *Meltzer* (p. 23) illud fragmentum retulit, quod est apud Non. s. v.

---

(1) Licet etiam ex his verbis pateat Livium Graecorum Latinorumque auctorum annales perlegisse, tamen hi perinsignes loci sunt afferendi:

Liv. IV, 20. Omnes ante me auctores secutus...
VII, 21. Per omnium annalium monumenta...
XXII, 31. Omnium prope annales...
XXIX, 50. A scriptoribus rerum Graecis Latinisque...
XXXII, 6. Ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales.
XLV, 44. Haec de Prusia nostri scriptores. Polybius tradit.

(2) C. Pascal, « *Quaestiones Ennianae* », in *op. laud.*, p. 6.

metari p. 37 (ap. *Pet.* fr. 41): « Omnes simul terram cum classi accedunt, navibus atque scaphis egrediuntur, castra metati signa statuunt. » *Kessler* (1) hoc fragmentum cum Livio XXIX, 27, 13 (2) et 28, 1 (3) comparans duas de Scipionis in Africam traiectione narrationes et veram et fictam Coelium prodidisse Liviumque illas contaminasse censet. Attamen — praeterquam quod, ut animadvertit *Sturmius* (p. 26), verisimillimum esse putamus Nonium narrationem Coelianam ita contraxisse, ut ex eo nimium colligere hominis temerarii sit,—cur Livius de duplici Scipionis in Africam traiectionis ordine (quem, ut placuit *Kesslero*, Coelius edidisset) nullam fecit mentionem? An fortasse Livius de more suo (cf. fr. sup.) triplicem gestae rei ordinem, ab eodem Coelio editum, commemorare praetermisit?

Frag. 33. Livius XXVIII, 46, 14, quae Coelius et Valerius Antias diversa memoriae prodidissent aperte distinxit: « Eisdem diebus naves onerariae Poenorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciae praeerat captae. Eas Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius praedam Etruscam Ligurumque et Montanorum captivos Carthaginem portantes tradit ».

Frag. 42. Livius XXIX, 35, 2 quae Coelius et Valerius Antias congruentes tradidissent monuit: « Coelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt ». Ex duobus locis superioribus quam diligenter auctores suos Livius inter se contulerit, manifesto patet (4).

---

(1) KESSLER, *Secundum quos auctores Livius res a Scipione gestas narraverit*, Diss., Kiliae, 1878, p. 27.

(2) « Eo (sc. ad Pulchri promontorium) classis decurrit, copiaeque omnes in terram expositae sunt ».

(3) « Expositis copiis, Romani castra in proximis tumulis metantur ».

(4) Quantum operae laborisque in verum investigandum insumpserit, neutiquam ostentavit Livius; tum tantum in dubiis rebus scriptores commemoravit et, quippe qui fidem sinceram integramque conservare expetierit, de more suo auctores pro re posuit. (Qua de re vide quae affert H. COCCHIA, in comm. lib. I T. Livii praemisso, Aug. Taur., ap. H. Loescher, p. XXIX sq. et C. PASCAL, *op. laud.*, p. 72). Quod, ut patefaciamus, presse attenteque hi nobiles loci sunt considerandi:

Liv. I, 55. Eo magis Fabio.... crediderim,... quam Pisoni.
IV, 7. Sunt qui.... Licinius Macer auctor est.

Ex his autem quae modo disputavimus haud exiguam Coelii fidem et auctoritatem Livium habuisse luculenter apparet. Atque hic, occasione data, qua ante Livii aetatem Coeliani annales floruissent auctoritate, breviter tangere non alienum esse mihi videtur. Satis erit dicere Coelianas epitomas a M. Bruto conscriptas esse (vide Cic. *ep.* XIII, 8 ann. $^{45}/_{709}$) et saepius quam ceteros eius aetatis scriptores Coelium a Cicerone laudatum (ap. *Pet.* fr. 1, 11, 19, 20, 34, 49, 50) et comprobatum virumque optimum (*de orat.* II, 12), id quod maxime interest, appellatum esse, quamvis huius quidem iudicia magis ad oratorum quam ad rerum scriptorum virtutes pertineant (1). Ac tamen cum et Fabium et Gellium

---

Liv. IV, 23. Apud Macrum Licinium invenio. Valerius et Q. Tubero.... edunt.
XXI, 38. inter auctores constat.... qui.... qui.... L. Cincius Alimentus.
XXI, 46. Coelius.... plures actores.... fama.
XXI, 47. Celius.. Potiores apud me auctores sunt qui...
XXII, 31. Omnium prope annales.... Coelius...
XXV, 39. Claudius — Valerius Antias — Piso.
XXVI, 49. Silenum — Valerium Antiatem.
XXVIII, 46. Coelius — Valerius.
XXXII, 6. Valerius Antias.... tradit. Ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales tradunt.
XXXIII, 10. Si Valerio quis credat... Claudius—Polybium secuti sumus
XXXIII, 36. Valerius Antias — Claudius.
XXXIV, 15. Valerius Antias — Cato.
XXXVI, 19. Polybio auctore—Quid si Valerio Antiati credamus.
XXXVIII, 48. Valerius Antias auctor est. Rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo....
XXXIX, 52. Et Poybius et Rutilius.... scribunt Ego neque his, neque Valerio Antiati adsentior... Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Naevius.
XLIII, 11. Valerius Antias—Plurium annales...
XLIV, 43. Claudius anctor est.... Alii... tradunt.
XLIV, 44. Haec de Prusia nostri scriptores Polybius tradit....

(1) Haud recte NAUTA (*l. l.*, p. 17), cuius sententiam refutat MELTZER, (*l. l.*, p. 46), illa Ciceronis verba « o virum simplicem qui nos nihil celet » (*or.* 69) ad Coelii fidem spectare opinatus est.

et Coelium [ap. *Pet.* fr. 49 (1)] inter se consentire Cicero admonuerit, cumque (ap. *Pet.* fr. 25), ut testatur Gellius, ex Catonis Originibus quid consilii Maharbal post victoriam Cannensem Hannibali dederit Coelius sumpserit, cumque etiam (ap. *Pet.* fr. 11), ut Cicero (*de div.* I, 24, 49) aperte affirmavit, Sileni historias (2) Antipater diligentissime persecutus sit, ex his omnibus nemo, opinor, dubitaverit quin Ciceronis ac Livii aetate Coelius permagni aestimatus sit. Sed, ut ad rem revertamur, optimo iure Livius, cum nullum rerum scriptorem temere ac nulla ratione, sed potius peracri iudicio, secutus sit, Coelii historias perpendit, atque hunc una cum aliis quoque scriptoribus in historiis conscribendis quam diligentissime contulit. Quin etiam ille praeclarus antiquitatis Patavinus investigator, cognitione regionum et fluminis patrii nisus, Antipatrum naturae amnis ignarum refutavit, ipsum de re antiqua non satis accurate exposuisse leniter reprehendit, denique eum, ad mirabilia narranda propensiorem, in rebus augendis intemperantem praedicavit, ut ex reliquis fragmentis, quae apud Livium leguntur, perspicuum erit. Cuius quidem locorum generis, ut infra videbimus, ea quae Coelius tradiderit diligentissime perpendere atque firmis argumentis refellere, Coelii vitia erroresque notare, proprium est.

Fr. 18. (Liv. XXI, 47, 4). « Coelius auctor est Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo transnasse; ipsum Hannibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fiuminis oppositis ».

Livius quidem hic quoque Padi accolam se ostendere voluisse, atque in rem fluviique naturam videtur indagasse; prorsus Coelianam fidem una cum rerum natura, ut ita dicam, recte exploravisse. Ac statim post ita ille pergit: « Ea peritis amnis eius vix fidem (3) fecerint, nam neque equites, armis

---

(1) H. Peter, *op. laud.*, p. CCXX. Cf. etiam quae supra diximus ad fr. 49.

(2) Bujak, *De Sileno scriptore Hannibalico*, Regimonti, 1859.

(3) Apud Zonaram quoque (VIII, 24) Coelii sententia fere eisdem verbis prolata legitur; quo nisus Prinsterer (« *De L. Coelio Ant. historico belli Pun. sec.*, » in *annalibus academiae Lugdunensis — Batavae* a. 1820-21, p. 46) Coelianam famam haud spernendam putavit.

equisque salvis, tam vim (1) fluminis superasse verisimile est, ut iam Hispanos omnis inflati travexerint utres ..... Potiores apud me auctores sunt, qui biduo vix locum rate iungendo fiumini inventum tradunt ». (Qua de re cfr. Pol., III, 66,3).

Woelfflinus (2) ex illis Liv. verbis: « iam Hispanos omnis inflati travexerint utres » effecit illa Liviana (XXI, 27,5) « Hispani sine ulla mole in utres vestimentis coniectis ipsi caetris superpositis incubantes flumen tranavere » verisimiliter ex Coelio fluxisse. At cum haec fluminis traiciendi ratio nequaquam inusitata, verum etiam apud scriptores (cf. Curt., VII, 21, 8 et Caes., *B. C.*, 48, 7) crebra fuerit, scriptores nostri non eadem re ficta et vana, sed vera et fida concinunt. Nonne igitur optimo iure nobis licet efficere Livium eam rem ex aliis quoque fontibus, praeter Coelium, hausisse? Recta igitur putamus quae scribit *Sturmius* in libello saepe allato (p. 17): « Namque credo tum demum, cum duo scriptores in aliqua aut inusitata aut falsa fictaque re consentiunt, pro certo nos affirmare posse aut alterum ex altero hausisse aut utrumque usum esse eodem fonte ».

Frag. 21. Livius XXII, 31, 8 annalium famam, una cum Coelio, qui eandem tradidisset, ita reprehendit: « Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt; Coelius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit ». De hac re Titus verbis statim sequentibus Coelium ceterosque in magistratus nomine errasse recte demonstravit, simulque quo modo error ille exortus esset docuit: « Sed et Coelium et ceteros fugit uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, ius fuisse dicendi dictatoris; quam moram quia expectare territa iam clade civitas non poterat, eo decursum est, ut a populo crearetur qui pro dictatore esset, res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentis titulum imaginis posteros; ut, qui pro dictatore *fuisset, dictator* crederetur, facile obtnuisse ». Quidnam hoc loco clarius elucet quam Livium auctorum famam subtili iudicio sic perpendisse, ut

---

(1) Cf. Liv. XXI, 43, 4: « Maior Padus ac violentior Rhodano ».

(2) In edit. l. XXI, p. 52.

vera a falsis diiudicaret? Nunc is locus cum Liv. verbis in cap. 8, 5 lib. XXII nobis comparandus est; maximam enim rationem inter duos locos intercedere, nemo est quin videat: « Itaque ad remedium iam diu neque desideratum nec adhibitum, dictatorem dicendum, civitas confugit. Et quia consul aberat a quo uno dici posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium aut litteris mitti; nec dictatorem populus creare poterat, quod numquam ante eam diem factum erat *pro*dictatorem (1) populus creavit Q. Fabium Maximum et magistrum equitum M. Minucium Rufum ». Haud dubie hi duo loci inter se tam apte cohaerent, ut — cum praesertim de repetitione (2) eiusdem rei gestae (scil. de Q. Fabii Maximi prodictatura) agatur,—alter alterum explanet atque declaret.

Frag. 39. Livius (XXIX, 25, 1) Coelium in rebus augendis immodicum dicit: « Coelius ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget; volucres ad terram delapsas clamore militum ait, atque tantam multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui videretur ».

Hic mihi liceat paucis commemorare verbis Valerium Antiatem in rerum augendarum studio saepe a Livio obiurgatum esse; qua de re vide quae accurate disputavit *Carolus Pascal* (op. laud., p. 63 sqq.).

Denique, ut omnia ad liquidum adducantur, h. l. etiam proponere mihi liceat perinsignem locum, qui est ap. Livium XXIII, 6, 8: « Quia nimis compar Latinorum quondam postulatio erat, Coeliusque et alii id haud sine causa praetermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus » (3). Quo ex loco, haud minus quam ex Liv. XXI, 47, 10 (sc. ex fr. 17, v. supra), satis dilucide apparet, et veri religionem et Coelii auctoritatem tanti a Livio aestimatas esse, ut hic rem quandam, quam Antipater et alii haud sine

---

(1) Dictatorem exhibent libri Mss. At in edit. Ascensiana a. 1513 ignotus homo scripsit prodictatorem; quae emendatio WEISSENBORNIO (alt. edit.), HERTZIO aliisque recta visa est.

(2) De repetitionibus apud Livium, v. LACH., *De font.*, Comm. alt., p. 78.

(3) Iam vero hunc locum, quem uncis inclusit MELTZER (fr. 51, pag. 32) praetermisitque H. PETER, Coeliani operis fragmentum quidem proprie vocari non potest, sed tamen (id quod animadvertit MELTZER, *ib.*) novum quoddam ad eius cognitionem affert.

causa praetermiserant scriptores ponere pro certo sit veritus. Haud dubie ex iis Liv. verbis perspicitur Livium ad historias perscribendas et ad artem criticam, quam vocant, exercendam aptissimum fuisse.

Ut brevi perstringam, ex insignibus Livianis locis, ubi Coelius diserte laudatur, sane planeque efficitur Antipatrum, quod a ceteris scrptoribus discreparet (ap. *Pet.* fr. 14, 17, 28,29, 33, 40, 42), aut quod in magistratus nomine erraret (ap. *Pet.* fr. 21), aut etiam quod rerum naturae ab ipso Patavino scriptore de industria ex ploratae repugnaret (ap. *Pet.* fr. 18), aut quod res immoderatius augeret (ap. *Pet.* fr. 39) a Livio commemoratum esse. Hoc tamen commemoratione dignum censeo, Livium, etiam cum ab eius sententia recedit (1), nunquam tamen tanto cum fastidio, quanto e. g. Valerium Antiatem, eum nominasse, sed semper satis honorificam de eo mentionem fecisse (ap. *Pet.* fr. 14, 17), eiusque narrationem certis argumentis (ap. *Pet.* fr. 18, 21) refutasse (2).

---

(1) Nauta (p. 17), Meltzer (p. 46), H. Peter (p. CCXXVI).

(2) Ut inter omnes constat, Livius auctores suos saepius acriter quidem at merito refellere solitus est. Rectissime enim, praeter L. Coelium Antipatrum et Valerium Antiatem, L. Calpurnium Pisonem, Clodium Licinium, L. Cincium Alimentum, Polybiumque reprehendit, eorundem neglegentiam adcusat erroresque notat. Ad rem firmandam pauca exempla collegamus: Pisonem, quem (X, 9) *vetustiorem annalium auctorem* ille in historiis perscribendis scriptor clarissimus dicit, ita (I, 44) vituperat: « Hos consules.... Piso suggerit. Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos consules, falsos ratus transcenderit, incertum est ». Atque Clodium Licinium, quippe qui propriae familiae laudem tribuerit, leviorem auctorem facit (VII, 9); nec L. Cincium Alimentum, diligentem monumentorum auctorem (VII, 3), qui semel confuderit numerum, sine omni vituperio dimittit. Atque etiam ipsum Polybium, *quem non incertum auctorem, cum omnium Romanarum rerum, tum praecipue in Graecia gestarum* (XXXIII, 10; cf. etiam. XXX, 45; XXXIII, 10; XXXIV, 50; XXXIX, 19; XLV, 45) habuit, nonnunquam incertum duxit et quae ille memoriae prodidit in dubium vocavit (XXXIX, 52). Verum, ut iustissimas Livii reprehensiones esse fatendum est, sic sunt qui, ut diximus, quod ipse in aliis reprehenderit, in eo ipso arguendum iudicent: diligentia minima ac nulla ratione annales digessisse, inepte per longum capitum aut librorum ordinem unum vel alterum auctorem potissimum persecutum esse, denique iudicio aut arte critica (ut ita dicam) penitus caruisse historiisque conscribendis ineptum fuisse. Quorum reprehensiones quam iniustae sint, nemo est quin videat. Namque in omni Livii narratione

Quin etiam ex omnibus locis, ubi Coelius a Livio laudatur, exstat atque eminet, nisi fallor, Titum Livium haud temere aut inepte auctoribus suis usum esse, sed quodam subtili iudicio omnes scriptores haud parva cum diligentia inter se perpendisse atque contulisse. Ut omnia complectamur, omnes Coeliani loci, qui apud Livium inveniuntur, hic afferantur:

Liv. XXI. 38. 7....inter omnes constat... et vulgo credere... Coelium...
XXI, 46, 10.... Coelius.... plures.... fama...
XXI, 47, 14.... Coelius.... peritis amnis.... Potiores apud me auctores sunt qui....
XXII, 31, 8.... Omnium prope annales... Coelius... sed et Coelium et ceteros fugit....
XXIII, 6, 8.... in quibusdam annalibus invenio... Coelius et alii....
XXVI, 11, 8... Huius populatio templi haud dubia inter scriptores est.:.. Coelius....
XXVII, 27, 11... variant auctores... Ut Omittam alios, L. Coelius...
XXVIII, 46, 14... Coelius... Valerius....

---

elucet ac spirat cum aequitas et altitudo animi (cf. SEN., *Suas.*, *lib.* XXII, TAC., *Ann.* IV, 34 et LACH., *De font.*, I. p. 86-87), tum etiam iudicium subtile et rectum atque acre quoddam ingenium investigandi. Ille quidem rerum Romanarum scriptor princeps auctores suos tam Romanos quam Graecos (cf. Liv. IV, 20; VII, 21; XXII, 31; XXIX, 27 et 50; XXXII, 6; XLV, 44) ita diligenter contulit, ut minime eisdem semper insisteret vestigiis, sed, variis narrationibus diligenter perpensis, quaedam ex aliis quoque fontibus, nec sine iudicio, hauriret. Atque etiam in rebus comparandis et perpendendis studium veritatis atque iudicium posuit, res rebus saepissime opposuit, vera a falsis ut diudicaret curavit, denique totam ille dedit operam, ut et in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum (Liv. II, 21) et in tam antiquis rebus et in tanta inscitia temporum auctorumque discrepantia (cf. Liv. Praef. 6; I, 24; II, 21; III, 5; IV, 20 et 23; V, 21; VI, 1 et 12; VII, 6; VIII, 30 et 40; XXI, 38; XXII, 36; XXIII, 6; XXV, 11; XXVII, 27; XXIX, 25; XXX, 16; XXX, 26; XXXVIII, 56, XLIV, 13) omnium rerum gestarum certam consequeretur notitiam.

XXIX, 25 1. Quidam non adiecere numerum... Coelius....

XXIX, 27, 14. Graecis Latinisque auctoribus credidi.... Coelius....

XXIX, 35,2. Coelius quidem et Valerius...

Quibus ex locis satis dilucide apparet et Coelium et ceteros rerum Romanarum auctores quam diligentissime ac peracri iudicio a Livio examinatos esse. Ex omnibus efficitur ut, ubi Livius Coelium non commemoravit, hunc cum plurimis atque potissimis scriptoribus congruisse censendum sit. Quid enim hisce undecim Coelianis fragmentis, quae modo attuli, clarius est quam Livium tantummodo in dubiis rebus Antipatrum commemorasse et quippe qui fidem sinceram integramque conservare expetierit, de more suo auctorem pro re posuisse? (1) Quidnam etiam fragmentis ap. *Pet.* 11, 19, 20 et praecipue 25 et 49 clarius Livium ceteros diligentissimos rerum scriptores, ut Catonem et Fabium, cum Coelio contulisse atque, plurimis auctoribus diligenter examinatis, sine ira et studio, libere et aperte posteris tradidisse?

Ne multis morer, refutatam eorum opinionem puto, qui longam capitum seriem uni Coelio referendam esse iudicaverint, atque etiam fundamenta, quaecumque sunt, in quibus haec opinio nitatur, sane fluxa et infirma haberi possunt.

Nos Livium rerum scriptorem ita diligentem esse, ut nunquam falli possit, contendere nolumus (2); tantum, quod ad rationem, quae inter L. Coelii Antipatri et T. Livii historias intercedat, pertinet, hoc statuere posse putamus: Livium,—cum nullum auctorem tanti habuerit, ut temere atque inepte secutus sit,—Coelium auctorem rectissime reprehendisse, eiusque vitia haud iniuria notasse, denique ratione ac diligentia eum adhibuisse. Atque etiam, si quaerimus, quatenus L. Coelio Antipatro auctore

---

(1) Quod, ut patefaciamus, hos perinsignes locos apponamus:

Liv. XXXVII, 48: Rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo, neque adfirmata res mea opinione sit, nec pro vana praetermissa.

XLIV, 48: Quid quia unde redigi potuerit non apparebat, auctorem pro re posui.

T. Livius in annalibus conscribendis usus sit, hoc exploratum et firmum habemus: L. Coelium Antipatrum, haud minus quam ceteros rerum auctores, tantummodo quod ab aliis abhorreret scriptoribus, aut quod in aliqua re erraret, aut quod rerum naturae repugnaret, aut etiam aliquid haud sine causa praetermitteret laudatum esse; ceteroqui nihil, quin ab aliis quoque auctoribus traditum sit, ex Coelio Livium hausisse, tum tantum Coelium in suam rem vocasse, cum, allato nomine, eum laudaret.

CORRIGENDA

Pag.	7	Adn.	lin. 19	WOELLFLINUS	—	WOELFFLINUS
"	8	"	" 2	*Livii*	—	*Livii libri*
"	"	"	" 15	*in XXI u. XXII*	—	*im XXI. u. XXII.*
"	11		" 7	demum primum	—	primum
"	"		" 26	diudicatum	—	diiudicatum
"	19		" 10	*Guilemus*	—	*Guilelmus*
"	28		" 31	aтgumentis	—	argumentis
"	33		" 33	obtnuisse	—	obtinuisse
"	35		" 1	pratermiserant	—	praetermiserant
"	36	"	" 10	diudicaret	—	diiudicaret



